

animam habere ⁴), vel, ut s. Augustinus inquit, ea, qua anima ad se cogendam quodammodo redit ², atque se ante conspectum suum se ponit ³.

136. Iamvero haec conscientia actualis ita ab Aquinate nostro explicatur. In primis anima obiectum intelligibile sibi proprium, nempe quidditatem in materia corporali existentem apprehendit; deinde actum cognoscit, quo illud obiectum apprehendit; et in illo actu seipsam cognoscit. « In hoc aliquis percipit se esse, quod percipit se . . . intelligere ⁴ ». Inde explicatur, cur anima conscientiam sui actuaalem habere dicatur *per ipsam sui praesentiam*: siquidem « ex ipsa mente est ei, unde possit in actum prodire, quo se actualiter cognoscat, percipiendo se esse ⁵ »; et alibi: « Ad primam cognitionem (qua nempe aliquis percipit se habere animam) de mente habendam sufficit ipsa mentis praesentia, quae est principium actus, ex quo mens percipit se ipsam; et ideo dicitur se cognoscere per suam praesentiam ⁶ ». Sane anima, ope conscientiae actualis, se non in alia re, quae inter ipsam, et essentiam suam media est, sed in se ipsa per simplicem conversionem supra seipsam inspicit.

His praestitutis, in primis definiendum nobis est, utrum conscientia sit specialis facultas distincta ab intellectu.

137. Prop. *Conscientia non est specialis facultas distincta ab intellectu* ⁷.

*Probat*ur contra Reidium ⁸, aliosque recentes philosophos. Ad explicandam cognitionem alicuius obiecti facultas specialis in anima admittenda non est, si ipsa ad facultatem iam cognitam reduci potest ⁹. Atqui cognitio tum habitualis, tum actualis, quae per conscientiam oblinetur, ad intellectum reducitur. Ergo conscientia tamquam specialis facultas ab intellectu distincta admitti nequit.

138. *Minor* ita demonstratur. 1° Habitualis conscientia, seu dispositio, qua anima ad sui, suorumque actuum cognitionem habendam pollet, ex eo constituitur, quod anima est praesens sibi

⁴ Ibid. c. — ² *Op. cit.*, lib. X, c. 5, n. 7. — ³ *Ibid.*, lib. XIV, c. 6, n. 8.

⁴ *Qq. disp.*, *De Ver.*, q. X, a. 8 c., Cf *ibid.*, q. II, a. 2 ad 2. — ⁵ *Ibid.* ad 1 *in contr.* — ⁶ I, q. LXXXVII, a. 1 c. Cf *Contr. Gent.*, lib. III, c. 46.

⁷ Intellectus, ait s. Thomas, non solum intelligit intelligibile, sed etiam intelligit se intelligere tale intelligibile »; *Qq. disp.*, *De Ver.*, q. X, a. 2 c. — ⁸ *Essais sur les facult. intellect.*, Ess. I, c. 1. — ⁹ Cf p. 100.

ipsi, prout est principium suorum actuum, ac proinde prout est. Quocirca habitualis, qua anima pollet, sui ipsius conscientia ex ipso intellectu repetenda est. Ex hoc ipso, inquit s. Thomas, quod essentia sua est sibi praesens, est potens exire in actum cognitionis sui ipsius ⁴). 2° Cognitio, qua anima per conscientiam actuaalem gaudet, ex eo oritur, quod ipsa supra seipsam convertitur. Atqui anima vim supra seipsam reflectendi habet ex eo, quod intellectu pollet, sive ex eo, quod est immaterialis; nam substantia materialis, uti postea demonstrabimus, non est capax reflectendi supra seipsam. Ergo illa cognitio ad ipsum intellectum reducitur.

139. Quod autem spectat ad obiectum conscientiae, haec investiganda nobis sunt: 1° utrum obiectum conscientiae sint dumtaxat actus animae, an etiam ipsa anima, quae illorum subiectum est; 2° utrum sint aliquae perceptiones, quae ab anima non appercipiuntur, id est, quarum anima conscientiam non habet; 3° utrum per conscientiam cognoscantur etiam actus voluntatis; 4° denique utrum, et quomodo anima corporis, cum quo coniungitur, et operationum vitalium cognitionem habeat.

140. Prop. 1°. *Anima ope conscientiae tum habitualis, tum actualis non solum actus suos, sed etiam seipsam, nempe substantiam suam apprehendit* ².

*Probat*ur contra Cousinium ³, Mamianum ⁴, aliosque, qui volunt dumtaxat actus animae a nobis ope conscientiae cognosci. 1° Ex eo, ut diximus, anima habituaalem sui cognitionem habet, quod est sibi praesens, prout est principium suorum actuum, in quibus, uti etiam diximus, se actualiter cognoscit; siquidem cum anima sui ipsius conscientiam actuaalem habeat in eo, quod actus suos percipit, ipsa habitualiter ex praesentia sui ipsius, quae horum actuum est principium, se cognoscit. Atqui anima in ipsa sui substantia est sibi praesens, prout est principium suorum actuum. Ergo anima ope conscientiae habitualis non modo ad actus suos, sed ad se ipsam, nempe substantiam suam cognoscendam comparatur.

2° Anima ope conscientiae actualis cognitionem sui ex eo asse-

⁴ *Qq. disp.*, *ibid.* c.

² Intellectus cognoscit seipsum, et suum intelligere »; *Contr. Gent.*, lib. II, c. 66. — ³ *Leçons sur la philosophie de Kant*, leç. VII.

⁴ *Rinnovamento della filosofia italiana*, part. II, c. 4, § 3, et c. 7, § 7.

quitur, quod supra se convertitur. Atqui anima, cum supra se convertitur, non solum super actus suos, sed etiam super substantiam suam convertitur, quae est immaterialis, ac proinde subsistit in se, et non in alia re. Ergo anima per conscientiam actualem cognoscit non solum actus suos, sed etiam substantiam, quae illorum subiectum est.

141. Illud autem contra Vacherotum¹ advertendum est, animam per conscientiam cognoscere existentiam sui ipsius, non vero naturam, et proprietates; haec enim, ut ex dicendis patebit, ex animae operationibus ope ratiocinationis a nobis cognoscuntur. Etenim anima ex eo, quod universales naturas rerum a se intelligi cognoscit, inde conficit species, quibus ipsas intelligit, esse immateriales, immaterialemque esse sui ipsius naturam². Qua de re Aquinas noster statuit animam intelligere « se ipsam per speciem intelligibilem, sicut et alia », atque hanc speciem non esse aliquam speciem abstractam a se, sed esse eandem speciem obiecti, quod apprehendit³. Re vera « cognoscitur anima per speciem a sensibilibus abstractam, non quasi intelligatur species illa esse animae similitudo, sed quia naturam speciei considerando, quae a sensibus abstrahitur, invenitur natura animae, in qua huiusmodi species reperitur⁴ ».

142. Prop. 2^a. *Intellectus omnium suarum perceptionum habituales apperceptionem perenniter habet, non vero apperceptionem actualem⁵.*

Probat^{ur} 1^a pars. Cognitio habitualis ex eo tantum efficitur, quod anima est sibi praesens, et species rerum, quas percipit, in se retinet. Atqui anima perenniter est sibi praesens, et species rerum, quas percipit, in se retinet. Ergo anima omnium perceptionum apperceptionem habituales perenniter habet.

143. *Probat^{ur} 2^a pars.* Conscientia actualis actuum intellectivorum in anima ex eo efficitur, quod voluntas movet intellectum ad reflexionem. Atqui voluntas non necessario, sed libere movet intellectum ad reflexionem. Ergo conscientia actualis, sive actualis apperceptio actuum intelligendi necessario non convenit animae. Atqui illud, quod necessario non convenit a-

¹ *Diction. des scienc. phil.*, art. Conscience.

² *Qq. disp.*, De Ver., q. X, a. 8 c.

³ I, q. LXXXVII, a. 1 ad 3. — ⁴ *Qq. disp.*, ibid. ad 9.

⁵ Cf s. Bonav., in lib. III Sent., Dist. XXVIII, dub. 2.

licui rei, per accidens ei convenit, et, quod est per accidens, aiente s. Thoma, non potest esse semper, et in omnibus¹. Ergo intellectus non semper, nec omnium actuum suorum conscientia actuali pollet.

144. Quod si quaestio versetur circa apperceptionem perceptionum sensitivarum, ipsa dirimenda est hoc modo: Apperceptio habitualis harum omnium perceptionum semper ab anima habetur, ob eandem, quam in prima parte propositionis attulimus, rationem. Apperceptio autem actualis earum omnium habetur eodem temporis momento, quo res a nobis percipiuntur, quia nos perceptiones sensitivas appercipimus ope sensus communis; atqui sensus communis una cum sensibus externis operatur, quia est principium, et terminus omnium actionum eorum²; ergo nos eodem temporis momento, quo res percipimus, rerum perceptiones appercipimus. At vero non habemus actualem apperceptionem omnium perceptionum sensitivarum, quas iam adepti sumus. Nam ut habeatur haec apperceptio, opus est phantasia reproducere species, quas in se retinet, et memoriam reproductas recognoscere; atqui phantasia non semper, et continuo perceptiones reproduct, nec semper memoria illas reproductas recognoscit; ergo anima non semper habet apperceptionem actualem omnium perceptionum sensitivarum, quas iam adepta est³.

145. Prop. 3^a. *Intellectus per illum actum, qui conscientia dicitur, non solum actus suos, sed etiam actus voluntatis cognoscit.*

Probat^{ur}. Illud, quod est in voluntate, etiam quodammodo in intellectu est, sive intelligibiliter est in anima, quia intellectus in eodem subiecto, ac voluntas, inhaeret, et intellectus, uti suo loco demonstrabitur, est principium, per quod voluntas aliquid vult. Atqui illud, quod intelligibiliter est in intellectu, sive in subiecto intelligente, ab eo intelligi potest. Ergo intellectus non

¹ *Contr. Gent.*, lib. II, c. 34. — ² Cf p. 120-121.

³ Ex his intelligitur teneri non posse opinionem Leibnitii, qui perceptiones sine apperceptione existere posse docuit (*N. E.*, lib. II, c. 1), neque opinionem Galluppii, qui contendit nullam fieri posse perceptionem sine apperceptione (*Lezz. etc.*, lez. LXXXVI). Etenim opinio Leibnitii vera est, si de apperceptione actuali intelligatur; falsa, si de apperceptione habituali. E contrario, opinio Galluppii est vera, si de apperceptione habituali; falsa, si de apperceptione actuali intelligatur.

solum seipsum, et actus suos, sed etiam voluntatem, et eius acius intelligere potest ¹.

146. Prop. 4^a. *Anima habitum corporis sui cognitionem habet, et per tactum passivum etiam cognitionem actualem.*

Probatur 1^a pars. Habituali cognitione anima comparatur ad seipsam, non aliter, quam in se est, cognoscendam. Atqui anima cuidam corpori copulatur, cum quo commune esse habet. Ergo anima seipsam corpori copulatam habitualiter cognoscit, ac proinde cognitione habituali sui corporis frui concludendum est.

147. *Probatur* 2^a pars. Corpus per tactum passivum immutatur tum a rebus exterioribus, tum ab interioribus affectionibus ipsius corporis, ac proinde anima potest per tactum passivum actu experiri immutationes, quae in suo corpore fiunt. Atqui haud possibile est, ut anima actu experiatur immutationes sui corporis, quin ipsum actu experiatur. Ergo anima per tactum passivum quamdam actualem cognitionem sui corporis habet.

148. Prop. 5^a. *Anima haud fruitor conscientia proprie dicta suarum operationum vitalium; habet tamen earum quamdam cognitionem experimentalem.*

Probatur 1^a pars contra Bouillierum ², aliosque nuperos. In confesso apud omnes est non aliarum operationum conscientiam homini esse posse, quam quae vel per se sunt cognoscitivae, vel a cognitione proficiscuntur, quia anima tum alicuius rei conscia esse dicitur, cum ipsam cognoscere cognoscit ³. Atqui operationes vitales neutrius generis sunt, quia ipsae similes sunt operationibus rerum, quae omni cognitione destituuntur ⁴. Ergo anima conscientiam proprie dictam operationum vitalium habere nequit.

149. *Probatur* 2^a pars. Anima, ut diximus, habitualement cognitionem sui corporis habet ex eo, quod corpori suo perenniter praesens est. Ergo ex eo etiam, quod corpori suo perenniter praesens est, habituali cognitione fruitor operationum,

¹ Cf s. Aug., *De Trin.*, lib. X, c. 11, n. 18, et s. Thom., I, q. LXXXVII, a. 4 c., et ad 1.

² *Du principe vital, et de l'ame pensante*, c. 23.

³ « Conscire, ait s. Thomas, dicitur quasi simul scire »; *Qq. disp.*, *De Ver.*, q. XVII, a. 1 c.

⁴ Cf p. 108.

quas per organa corporis exercet, ac proinde operationum vitalium. Praeterea anima, uti etiam diximus, per tactum passivum actu experitur immutationes, quae in suo corpore fiunt. Atqui hae immutationes in operationibus vitalibus maxime consistunt. Ergo anima per tactum passivum quamdam cognitionem experimentalem operationum vitalium actu etiam habet ¹.

ART. IX. *De actu iudicandi*

150. Intellectus humanus natura sua ita comparatus est, ut unico, et primo actu nequeat cognoscere qualitates simul cum essentia rei. Quare ipse primum notiones rei, et qualitatam adipiscitur, dein convenientiam, aut discrepantiam uniuscuiusque qualitatis cum essentia rei cognoscit ². Hoc modo ipse de rebus iudicat. Quid sit iudicium, explicavimus in *Logica* ³. Quaestiones autem dynamilogicae, quae circa naturam iudicii versantur, hae praecipuae sunt: 1^o Utrum iudicium intellectui, an voluntati tribuendum sit; 2^o utrum omnia iudicia fiant per comparisonem terminorum, an aliqua iudicia fiant ex instinctu; 3^o utrum essentia iudicii in comparatione, an in affirmatione, aut negatione consistat.

151. Prop. 1^a. *Iudicium non est actus voluntatis, sed intellectus.*

Probatur contra Cartesianos. Actiones, quae sunt specificiter diversae, reduci non possunt ad eandem facultatem ⁴. Atqui iudicium, et volitio, nempe actus voluntatis, sunt actiones specificiter diversae, quia iudicium refertur ad *verum*, volitio autem ad *bonum*. Ergo si volitio pertinet ad voluntatem, iudicium non potest pertinere ad ipsam, sed debet pertinere ad illam facultatem, cuius obiectum est *verum*, nempe ad intellectum.

152. Obiicit. In quolibet iudicio mens vel assentitur alicui veritati, vel dissentit ab aliqua falsitate, quod idem est ac dicere mentem in iudicio aliquid amplecti, vel respuere. Atqui ample-

¹ « Homo experitur vitam in operibus vitae »; 1^a 2^{ae}, q. CXII, a. 5 ad 1. Exinde colligitur Peisseum (*Rapport du physique, et du moral*, in *Ephem. Liberté de penser*, 15 mai 1848) aliosque post eum perperam admisisse *sensum vitae* tamquam specialem facultatem, qua anima corpus, suasque operationes vitales cognoscit; huiusmodi enim cognitio, uti ostendimus, per tactum passivum obtinetur.

² Cf s. Thom., I, q. LVIII, a. 4 c.

³ Cf p. 23. — ⁴ Cf p. 100.

cti, et respuere sunt actus voluntatis. Ergo iudicium est actus voluntatis.

153. Resp. *Conc. mai.*; *dist. m. n.*, amplecti, et respuere sunt actus voluntatis tantum, *neg. min.*, sunt actus cum voluntatis, tum intellectus, licet diverso modo, *conc. min.*; *neg. cons.* Et sane amplecti, et respuere non solum ad voluntatem, sed etiam ad intellectum pertinent, quia sicut voluntas amplectitur bonum, et respuit malum, ita intellectus, cum iudicium conficit, amplectitur verum, et respuit falsum. At ex eo, quod amplecti, et respuere inveniuntur non solum in iudicio, sed etiam in voluntate, inde inferendum non est iudicium ad voluntatem revocari posse; nam amplecti, et respuere diverso modo locum habent in iudicio, quam in volitione. Etenim anima in iudicio aliquid asserit, aut negat, quia cognoscit praedicatum cum subiecto convenire, vel ab eo discrepare; in volitione autem aliquid vult, aut non vult, quia advertit verum, quod per intellectum apprehendit, esse sibi bonum, aut malum.

154. Prop. 2^a. *Iudicia ab intellectu per comparationem terminorum, non vero per instinctum fiunt, neque ea simul instinctiva, et comparativa esse possunt.*

*Probat*ur prima pars contra Reidium, quia iudicia *primitiva*, e. g., *ego sum, corpora existunt* etc., non per comparationem duorum terminorum, sed per instinctum fieri putavit¹: Iudicia *instinctiva*, cuiusmodi illa sunt, quae a brutis fiunt, sponte exeruntur, quin cognoscatur ratio convenientiae, aut repugnantiae terminorum; *comparativa* autem sunt ea, in quibus cognoscitur ratio, ob quam praedicatum cum subiecto coniungitur, aut ab eo removetur. Atqui eorum, qui intellectu, sive ratione pollent, nempe hominum, proprium est ita iudicare de rebus, ut cognoscant rationem convenientiae, et repugnantiae terminorum. Ergo iudicia, quae ab hominibus per intellectum fiunt, *comparativa* esse debent, et *instinctiva* esse non possunt.

155. *Probat*ur altera pars contra Rosminium, quia iudicia *instinctiva* simul, et *comparativa* esse posse statuit². Si quod iudicium esset *instinctivum*, quocumque modo fieri dicatur, semper inde consequitur ipsum *per necessitatem naturae*, ideoque

¹ *Essais sur les facultés intell.*, Ess. II, c. 20.

² *N. S.*, sez. II, c. un., et sez. III, c. 3, a. 8, not. 1, et a. 9.

sponte, et naturaliter ab intellectu fieri; nam, ut s. Thomas ait, «agens per necessitatem naturae determinatur ad actionem per illud, quod est in natura eius». Atqui comparatio, quippe quae consistit in actione intellectus dividens, et componentis terminos, spontanea, et naturalis animae esse nequit. Ergo, si iudicium veluti *instinctivum* admittatur, ipsum nullo modo *comparativum* esse potest.

156. Ex hac, quam demonstravimus, propositione consequitur simplicem apprehensionem, non vero iudicium esse primam operationem intellectus. Et sane, omne iudicium est *comparativum*. Atqui terminos inter sese comparare non possumus, nisi eos iam cognoscamus. Ergo simplex apprehensio terminorum iudicio praecedat necesse est.

157. Prop. 3^a. *Essentia iudicii non in comparatione terminorum, sed in affirmatione, aut negatione proprie consistit*².

Demonstratur contra Lockianos, qui iudicium proprie in comparatione terminorum situm esse autumant: Intellectus per comparationem ponit unum terminum ante alterum, sed eorum convenientiam, aut repugnantiam non cognoscit. Atqui sine huiusmodi cognitione nullum iudicium efficitur. Ergo iudicia non in comparatione terminorum sita sunt, sed in actione, qua intellectus terminorum comparatorum convenientiam, aut discrepantiam perspicit. Atqui intellectus cum perspicit aliquam proprietatem subiecto convenire, tunc affirmat, atque e contrario, cum cognoscit aliquam proprietatem subiecto repugnare, tunc negat. Iudicium igitur ex affirmatione, aut negatione proprie constituitur, et comparatio terminorum est dumtaxat medium, quod ad illud constituendum concurrat.

ART. X. De ratione

158. Anima humana, quippe quae infimum locum inter substantias intellectuales tenet, ad perfectam rerum cognitionem assequendam, praeter simplicem apprehensionem, non modo actione complexa iudicii, sed etiam actione magis complexa, nempe *ratiocinatione* indiget³; quapropter ipsa pollere *ratione* dicitur.

159. De natura *ratiocinationis* in *Logica* disseruimus. Hic tria

¹ *In lib. II Sent.*, Dist. I, q. I, a. 5 ad 11.

² *Qq. dispp.*, *De Ver.*, q. I, a. 3 c. — ³ *I.*, q. LXXVI, a. 5 c.

circa *rationem* investigemus oportet: scilicet 1° utrum intellectus, et ratio sint una, an duae facultates intelligendi; 2° utrum ratio *speculativa* a ratione *practica* differat; 3° quid de ratione *superiori* et *inferiori* dicendum sit.

160. Ad primum quod spectat, non pauci nuperi Philosophi post Kantium¹ admiserunt specificam distinctionem inter intellectum, et rationem. Contra eos demonstramus sequentem propositionem:

*Intellectus, et ratio non sunt duae facultates intelligendi, sed duae denominationes eiusdem facultatis*².

Probatur. Ratio tamquam facultas distincta ab intellectu habenda esset, si obiectum, et actus eius ad obiectum, et actum intellectus reduci non possent, sive specificè inter se differrent³. Atqui obiectum, et actus rationis ad obiectum, et ad actum intellectus reducuntur. Ergo non est alia facultas intelligendi *ratio*, alia autem *intellectus*.

161. *Probatur* prima pars *minoris*. Obiectum rationis est intelligibile, aequè ac intelligibile est obiectum intellectus. « Ratiocinari, inquit s. Thomas, est procedere de uno intellecto ad aliud, ad veritatem intelligibilem cognoscendam⁴ ». Atqui intelligibile, sub ratione intelligibilis spectatum, est specie unicum, quia intelligibile refertur ad nostram virtutem intellectivam sub unica ratione immaterialitatis. Ergo obiectum intellectus, et rationis est specificè unicum.

162. Altera pars *minoris* ita demonstratur: Differentia modi, quo intellectus, et ratio verum intelligunt, in eo consistit, quod intellectus *immediate*, sive *intuitive*, ratio autem *mediate*, sive *discursive* verum cognoscunt⁵; ex quo fluit inter modum, quo intellectus, et modum, quo ratio verum cognoscunt, eandem esse differentiam, ac inter quietem et motum, quia intelligere *per intuitum* est quaedam quies mentis humanae, et intelligere *per discursum* est quidam motus eius. Atqui quiescere, et moveri ad idem principium pertinent⁶; quia per eandem naturam aliquid quiescit, et movetur. Ergo actio intellectus, et rationis

¹ Critique, etc., Introd.

² Cf. s. Aug., *De lib. arb.*, lib. II, c. 6, n. 13. — ³ Cf. quae diximus p. 100.

⁴ I, q. LXXIX, a. 8 c. — ⁵ I, q. LIX, a. 1 ad 1.

⁶ « Ex eadem causa aliquid quiescit in loco, per quam movebatur ad locum »; 1^a 2^{ae}, q. XXIII, a. 3 c.

ad idem principium reducuntur, sive specificè inter se non differunt¹.

163. Itaque « intellectus, et ratio non sunt potentiae diversae² », sed sunt eadem intelligendi facultas, quae duabus vocibus designatur, quia « intellectus nomen desumitur ab intima penetratione veritatis, nomen autem rationis ab inquisitione, et discursu³ ». Nihilominus haec unica facultas, per quam mens humana res intelligit, potius ratio, quam intellectus dicenda est, quia mens humana scientiam rerum non nisi per ratiocinationem assequi potest.

164. Quod attinet ad secundam quaestionem, explicandum in primis est, quatenam dicatur cognitio theoretica, quatenam practica. Theoretica vocatur illa cognitio, quae versatur circa verum, prout verum est, sive considerat in rebus rationem *veritatis*, non rationem *operabilitatis*. Practica autem est cognitio, quae versatur circa verum, accommodatum ad operationem, nempe circa verum, prout norma operationum est, ita ut potius rationem *operabilitatis*, quam *veritatis* consideret⁴. Ex duplici hac cognitione oritur distinctio intellectus, sive rationis, in *theoreticam*, et *practicam*. Ratio *theoretica*, sive *speculativa* dicitur, cum in simplici apprehensione veri se continet; *practica* autem, cum porrigit ad operationem verum iam apprehensum.

165. Iamvero intellectus practicus applicans principia universalis ad operationes, iudicia particularia conficit, quibus decernit aliquid agendum esse, aut aliquid recte, vel secus actum esse. S. Thomas explicans modum, quo anima conficiat haec iudicia particularia circa suas actiones, docet eam adhibere quemdam syllogismum, cuius *maior* est principium universale, *minor* est apprehensio proprietatis singularis alicuius obiecti, in qua, ope cogitativae, deprehendit quamdam similitudinem cum principio universali; *conclusio* denique est iudicium particulare, quo intellectus applicat principium universale ad cognitionem illius proprietatis singularis, sive illam proprietatem singularem ad principium universale *reducit*, atque ita aliquid agendum esse decernit. E. g., Filius tenetur patrem honore prosequi; at e-

¹ Qq. dispp., *De Ver.*, q. XV, a. 1 c.

² 2^a 2^{ae}, q. LXXXIII, a. 10 ad 2. — ³ *Ibid.*, q. XLIX, a. 5 ad 3.

⁴ Qq. dispp., *De Ver.*, q. III, a. 3 c.

go sum filius, Petrus est pater; ergo ego Petrum honore prosequi teneo. Quo in exemplo, *maior* exhibet principium universale; *minor* complectitur apprehensiones proprietatum concretarum filiationis in me, et paternitatis in Petro, quae per cogitativam fiunt; denique conclusio est iudicium particulare, quo principium universale applicatur proprietatibus concretis apprehensis in me, et in Petro¹.

166. His praemissis, contra Kantium, qui rationem speculativam, et rationem practicam, tamquam duas diversas facultates habuit², hanc propositionem demonstramus:

Ratio theoretica, et ratio practica non sunt duae facultates specificae diversae.

Probat. Differentia, quae accidentaliter advenit obiecto, non constituit facultatem diversam ab illa, ad quam illud obiectum refertur. Atqui applicare ad opus cognitionem veritatis, quod est proprium intellectus practici, non pertinet essentialiter ad cognitionem veri, circa quam versatur intellectus speculativus, sed est aliquid accidentale ipsi cognitioni. Ergo intellectus practicus non est facultas intelligendi distincta ab intellectu speculativo, sed est quaedam *extensio* intellectus speculativi, nempe ipsam facultatem intelligendi *extendit*, sive applicat ad opus³.

167. Restat, ut distinctionem rationis in *superiorem*, et *inferiorem*, quarum penes celebriores Scholasticos post s. Augustinum mentio occurrit, explicemus.

Ratio *inferior* est quae considerat veritates rerum, prout in rebus temporalibus, mutabilibus, et contingentibus existunt; *superior*, quae considerat veritates rerum, prout reducuntur ad veritates aeternas, necessarias, et immutabiles. Intellectus Divini, ad quarum exemplar naturae rerum temporalium conditae sunt. E. g., ratio inferior iudicat obediendum esse regi ex eo, quod incolumitas societatis id exoptulat; ratio autem superior ex eo, quod Deus, societatis auctor, et custos, hoc iubet. Illa appellatur *inferior*, quia res intelligit, et diiudicat secundum aliquid, quod est ea inferius, nempe per principia, quae ex contemplatione rerum sibi efformat; haec dicitur *superior*, quia res

¹ I, q. LXXXVI, a. 1 ad 2. — ² *Op. cit.*, sect. II, § 4.

³ Cf s. Thom., *In lib. III Sent.*, Dist. XXIII, q. II, art. 3, *sol. 2 c.*, et s. Bonav., *Centil.*, part. III, § 22.

intelligit, et diiudicat secundum aliquid, quod est ea superius, nempe per principia aeterna, et immutabilia, ad quae principia ex ipsis rebus efformata reducuntur.

168. Illud autem cum s. Thoma advertendum est, rationem superiorem, etsi ob dignitatem sit prior ratione inferiori, tamen ob operationem esse posteriorem; nam mens humana ex sensiliu cognitione proficiscitur, ac proinde aeterna intelligere nequit, nisi prius intellexerit temporalia, quae sensibus hauserit⁴.

169. His praestitutis, demonstrandae nobis sunt sequentes propositiones:

Prop. 1^a. *Ratio superior, et ratio inferior non sunt duae facultates specificae diversae.*

Probat. Obiectum rationis superioris, et obiectum rationis inferioris spectata *materialiter*, hoc est in sua natura, specie ab se differunt; nam ratio superior versatur circa illud, quod est necessarium, immutabile, et aeternum; ratio autem inferior suam cognitionem ex rebus contingentibus, mutabilibus, et temporaneis attingit. At vero spectata *formaliter*, hoc est, prout ad facultatem intelligendi referuntur, inter sese conveniunt, quia in aliquo intelligibili consistunt, cum res illae contingentes, mutabiles, et temporaneae a ratione inferiori cognoscantur non secundum earum condiciones materiales, sed in suis essentiis, quae sunt quodammodo necessariae, aeternae, et immutabiles. Atqui obiecta, quae *formaliter* considerata inter sese conveniunt, ad eandem facultatem spectant. Ergo ratio superior est eadem facultas, ac inferior².

170. Praeterea, quemadmodum mens nostra ex cognitione effectus ad cognitionem causae progreditur, et ex causa iam cognita ad effectum regreditur, ut penitorem huius cognitionem sibi comparet; ita ex veritatibus cognitis per principia, quae ex contemplatione rerum temporalium, et mutabilium sibi efformavit, ad causam earum extollitur, nempe ad veritates cognititas per principia aeterna, et immutabilia; et ex his regreditur ad veritates, quas cognovit in rebus temporalibus, et mutabilibus, ut de ipsis rectum iudicium pronuntiet. Quapropter in exer-

⁴ *Qq. disp.*, *De Ver.*, q. X, a. 6 ad 6.

² Cf s. Aug., *De Trin.*, lib. II, c. 4, n. 4; et s. Thom., I, q. LXXIX, a. 9 ad 2.

citatione rationis inferioris, et superioris non nisi quidam progressus, et regressus obtinet. Atqui progressus et regressus, quibus cognitio nostra perficitur, ad eandem rationem spectant. Ergo ratio superior, et inferior unam facultatem constituunt.

171. Prop. 2^a. *Ratio superior non est extra, vel supra animam*¹.

Probatur contra Cousinium, qui contendit rationem superiorē esse medium per quod Ratio Divina se cum ratione humana communicat², et contra Ontologos, secundum quos ratio superior est ratio absoluta, nempe ipsa Ratio Divina. In primis, ratio superior eadem est facultas, ac ratio inferior; ergo sicut ista, ita etiam illa non est extra, vel supra animam.

172. Praeterea, Philosophi, quos hic refutamus, ideo contendunt rationem superiorē esse extra, aut supra animam, quia opinantur immutabile non posse cognosci per rationem humanam, quae est mutabilis. Atqui nedum repugnat, necesse est animam humanam per facultatem mutabilem cognoscere immutabile. Ergo horum philosophorum sententia falso, et absurdo fundamento superstruitur.

173. *Probatur minor*. 1^o Non repugnat animam humanam cognoscere immutabile per medium mutabile, quia ipsa, cum res cognoscit, earum proprietates, et relationes non creat, sed duntaxat investigat, et detegit. 2^o Necesse est ut anima humana per huiusmodi medium cognoscat immutabile. Etenim medium, quo mens veritates immutabiles cognoscit, quodcumque esse dicatur, intrinsecus ipsi animae esse debet³. Atqui anima per se est mutabilis, ac proinde quidquid ei inest, est mutabile. Ergo anima non nisi per aliquod medium mutabile cognoscere potest veritates immutabiles⁴.

ART. XI. De memoria intellectiva

174. Sicut memoria sensitiva, ita etiam quaedam memoria intellectiva in anima admittenda est, siquidem ipsa non modo res intelligit, sed etiam illarum intellectiones revocat, et agnoscit.

¹ « Ratio superior, inquit s. Bonaventura, habet iudicare secundum lumen proprium »; *In lib. II Sent.*, Dist. XXIV, p. 2, a. 1, q. I resol. Cf s. Aug., *De Trin.*, lib. XII, c. 7, n. 12; *De lib. arb.*, lib. II, c. 10, n. 28, et alibi.

² *Fragm.*, Préf. à la 1^{re} édit., p. 36, et 37.

³ Cf p. 138. — ⁴ Cf s. Aug., *De Trin.*, lib. XII, c. 7, n. 12, et alibi.

S. Bonaventura distinxit duplicem actum memoriae intellectivae, unum, quo anima speciem rei intellectae in se retinet, alterum, quo reminiscitur rei per speciem repraesentatae. Primus, aiente eodem sancto Doctore, est in anima *instar habitus*, quia potius statum, quam actionem significat, alter *instar usus*, quia per ipsum anima habitu memoriae utitur. Praeterea ille sine voluntatis nutu efficitur, hic fit ope reflexionis, et a voluntate pendet¹.

175. Prop. *Memoria intellectiva non est facultas, quae ab intellectu specie differt, sed est quaedam ipsius intellectus affectio*².

Probatur contra fere omnes recentes philosophos. Memoria intellectiva non est facultas ab ipso intellectu distincta, si duo, quos innuimus, eius actus ab ipso intellectu repeti possunt. Atqui illi duo actus memoriae intellectivae ab ipso intellectu suam repetunt originem. Ergo.

176. *Probatur minor*. 1^o Retentio specierum intelligibilium, uti ab Aquinate observatum fuit, intellectui maxime convenit, quia, cum intellectus possibilis sit stabilioris naturae, quam sensus, oportet, quod species in eo recepta stabilius recipiatur; unde magis in eo possunt servari species, quam in parte sensitiva³. 2^o Intellectus vi supra se suasque actiones reflectendi pollet; hae autem actiones in aliquo tempore existunt; ergo sicut cognoscere potest se in praesenti aliquid intelligere; ita cognoscere potest se antea aliquid intellexisse⁴.

177. Ex his perspicitur, cur memoria sensitiva sit quaedam specialis facultas⁵, et non item memoria intellectiva. Nam specialis facultas constituitur ex objecto, quod *per se*, et non ex objecto, quod *per accidens* ad illam refertur. Atqui praeteritum, prout est praeteritum, cum sit particulare, et determinatum, refertur *per se* ad facultatem sentiendi, ad facultatem autem intelligendi, cuius obiectum est indeterminatum, et universale refertur duntaxat *per accidens*, nempe quatenus ipsa supra suas actiones reflectitur. Ergo etsi memoria sensitiva sit quaedam specialis facultas sensitiva, memoria intellectiva quamdam specialem facultatem intelligendi non constituit.

¹ *In lib. II Sent.*, Dist. VII, part. 2, a. 1, q. 2 resol.

² I, q. LXXXIX, a. 7 c.

³ *Qq. dispp.*, *De Ver.*, q. X, a. 2 c.

⁴ I, q. LXXXIX, a. 6 ad 2. — ⁵ Cf p. 125.

ART. XII. *Differentia intellectus a sensu adstruitur*

178. Ea omnia, quae de obiecto, ac operationibus intellectus disputavimus, luculenter demonstrant esse prorsus abnormem sensismum, nempe illud systema, quo intellectus cum sensu confunditur. Post nonnullos veteres ¹, multi proxime elapsi saeculi Philosophi portentosum hunc errorem per totam Europam divulgaverunt. Hi, duce Condillacho, facultates, quae intellectivae dicuntur, non aliud esse contendunt, nisi diversas formas sensibilitatis, earumque operationes, e. g., attentionem, iudicium, ratiocinationem etc., non esse, nisi sensationes transformatas.

179. Huiusce systematis abnormitas sequentibus propositionibus ostenditur:

Prop. 1^a. *Intellectus, secus ac sensus, est facultas inorganica.*

Haec propositio argumentis ab ipsa natura animae petitis demonstrata nobis fuit ². Praestat eam hoc alio argumento confirmare: Si intellectus per aliquod organum corporis actiones suas exerceret, neququam intelligere posset naturas omnium rerum materialium. Atqui proprium intellectus est intelligere essentiam cuiuslibet rei, quae habet esse in materia ³. Ergo intellectum facultatem inorganicam esse pro certo habendum est.

180. *Probatur maior.* Facultas, quae per organum corporeum exercetur, ad unum genus rerum materialium determinatur, e. g., visus ad colores. Ergo, si intellectus esset facultas organica, ad cognoscendam hanc vel illam naturam rerum materialium determinaretur, ac proinde naturas omnium rerum materialium cognoscere non posset.

181. Prop. 2^a. *Obiectum, et operationes sensus ab obiecto, et operationibus intellectus omnino differunt.*

Probatur 1^a pars. Sensus in rebus non aliud per se apprehendit, nisi qualitates sensiles illarum ⁴, et quoniam illae qualitates sunt quidpiam singulare, et corporeum, sensus non nisi singulare, et corporeum apprehendere potest ⁵. E contrario, intellectus cognoscit essentiam qualitativis sensilibus exutam ⁶, et ideo obiectum eius est immateriale ⁷, et universale ⁸; quinimmo ex

¹ Contra eos disputavit s. Thomas, praecipue *Contr. Gent.*, lib. II, c. 60.

² Cf p. 127-128. — ³ Cf p. 131-132. — ⁴ Cf p. 110. — ⁵ Cf p. 110.

⁶ Cf p. 131. — ⁷ Cf p. 128. — ⁸ Cf p. 132.

notionibus essentialium rerum, quae habent esse in materia, ad notionem rerum, quae supra materiam sunt, assurgit ¹. Ergo obiectum intellectus ab obiecto sensus omnino differt.

182. *Probatur 2^a pars.* Anima res intelligere non potest, nisi ope alicuius vis activae, qua res actu intelligibiles efficit, quia essentia, qualitativis sensilibus exuta, non actu, sed dumtaxat potentia in rebus est ²; e contrario anima ad res sentiendas non indiget ulla vi sentiendi activa, quae res actu sensibiles efficiat ³. Praeterea, intellectus, cum aliquid intelligit, pati dicitur dumtaxat quia ab obiecto intelligibili reducitur a potentia ad actum; sensus autem, cum aliquid sentit, pati dicitur etiam quia immutatur organum, in quo facultas sentiens est. Insuper vehementia obiecti sensibilis sensum corrumpit; at vehementia obiecti intelligibilis perficit intellectum ⁴. Ad haec, ea, quae intellectu polent, diversa, imo opposita operari possunt; e contrario animalia, quae intellectu carent, non exercent, nisi « determinatas quasdam operationes, et uniformes in eadem specie, sicut omnis hirundo similiter nidificat ⁵ ». Denique sensus ex eo, quod est facultas organica, super se ipsum converti non potest, proindeque idem sensus operationes suas cognoscere non potest. Etenim aliquid ad aliquid convertitur, si totum cum toto ita coniungitur, ut ex utroque unum fiat; atqui organum sensorium nequit se totum cum toto coniungere, quia habet partes extra partes; ergo sensus, ex eo quod organo corporis indiget, non potest se ad seipsum convertere ⁶. E contrario intellectus, quia est potentia inorganica, non solum res intelligit, sed etiam in se rediens, seu super se reflectens, seipsum, et intellectiones suas intelligit. Ergo operationes sensuum ab operationibus intellectus omnino differunt.

183. Prop. 3^a. *Actiones intellectus tamquam sensationes transmutatae haberi nequeunt.*

Probatur. Attentio, iudicium, ratiocinatio, ceteraeque actiones intellectivae tamquam sensationis transmutationes nec esse, nec intelligi possunt sine aliqua vi activa, ex qua sensationes trans-

¹ Cf p. 132. — ² Cf p. 137.

³ Cf s. Thom., I, q. LXXXV, a. 1 ad 3.

⁴ Cf *Contr. Gent.*, loc. cit. — ⁵ *Ibid.*

⁶ Cf s. Thom., *In lib. I Sent.*, Dist. XVIII, q. I, a. 5 ad 3.

mutentur. Atqui huiusmodi vis activa in sensationibus non invenitur, quia hae, ipso Condillacho docente, sunt operationes passivae animae. Ergo attentio, iudicium, ceteraque huiusmodi actiones transmutationes sensationis esse nequeunt ¹.

CAPVT V.

De facultatibus appetendi

184. Nomine *appetitus* designantur illae facultates, quibus anima tendit ad res sensu, vel intellectu apprehensas, vel eas fugit, prout rationem boni, vel mali in illis deprehendit. Hinc postquam facultates cognoscendi exploravimus, ordo rei exposulat, ut facultates appetendi investigemus.

ART. I. De appetitu in universum spectato

185. *Appetitus* a s. Thoma definitur: « Inclinatio rei, et ordo ad aliquam rem sibi convenientem ² », sive illa propensio, qua res ad bonum, idest ad perfectionem sibi consentaneam assequendam nituntur. In qua definitione includitur etiam *fuga*, sive *aversatio* a malo, quia res per idem principium, quo bonum appetunt, malum aversantur ³.

186. Hic monere praestat aliquando appeti malum, non tamen sub ratione mali, sed *indirecte*, sive *per accidens*, nempe, ut inquit s. Thomas, « quatenus bonum, cum quo coniungitur malum, magis appetitur, quam bonum, quod privatur per malum ⁴ ». E. g., leo occidens cervum intendit cibum, cum quo coniungitur occisio animalis.

187. Iam appetitus, quatenus constituit quoddam genus specialium facultatum, dicitur *elicitus*, quo nomine distinguitur ab appetitu *simpliciter naturali*. Appetitus *elicitus* est ille, quo anima ex cognitione sibi propria se movet, sive inclinatur ad bonum ⁵. Hinc, aiente s. Thoma, « desiderium in rebus cognoscantibus sequitur cognitionem ⁶ ». Appetitus *simpliciter naturalis* est, quo res, quae cognitione deslittuntur, tendunt ad fi-

¹ Cf Rosmini, *Breve esposizione della filosofia di M. Gioia*, n. 4.

² *Qq. disp.*, De Ver., q. XXV, a. 1 c.

³ Cf *Contr. Gent.*, lib. III, c. 3, n. 7. — ⁴ I, q. XIX, a. 9 c.

⁵ *Qq. disp.*, De Ver., q. XXII, a. 2 c. — ⁶ I, q. LXXV, a. 2 c.

nem suum ¹ per inclinationem sibi propriam, quam Deus, auctor naturae, unicuique illarum indidit; ita ut cognitio obiecti, quod appetunt, non sit in ipsis, sed in Deo, qui ipsas in proprium finem ordinavit ². Hic appetitus naturalis non est in anima quaedam specialis facultas, sed, ut alibi diximus ³, est communis omnibus animae potentiis, prout hae sunt quaedam res naturales, et efficit, ut ipsae ad exercitium actionum sibi propriarum naturaliter inclinent.

188. Appetitus eliciti duae species sunt, scilicet *sensitivus*, et *intellectivus*, quia cognitio obiecti, ex qua appetitus elicitus exoritur, non nisi sensitiva, vel intellectiva esse potest. Appetitus *sensitivus* est, quo res obiectum ita appetunt, ut ipsum percipiant, nec tamen rationem, propter quam appetibile sit, cognoscant. Appetitus autem *intellectivus*, sive *rationalis* dicitur, quo res in obiectum ideo inclinant, quod apprehendunt non solum ipsum, sed etiam convenientiam eius cum sui natura ⁴. Ex his colligitur 1° appetitum sensitivum esse proprium animalium, quia ipsa appetunt illud, quod apprehendunt sibi utile, et delectabile, ita tamen, ut minime cognoscant rationem, ob quam ipsum appetunt; 2° appetitum rationalem esse proprium naturarum, quae ratione pollent, quia hae cognoscunt non solum id, quod appetunt, sed etiam rationem, ob quam illud appetunt; 3° in homine utrumque appetitum inesse, quia ipse utriusque cognitionis est particeps. Ad quam rem illud observandum est, quod saepe ea, quae secundum sensum appetimus, secundum rationem aversamur, et vicissim. E. g., aegrotus medicinam appetitu sensitivo aversatur, et eandem ob spem sanitatis rationaliter appetit ⁵.

ART. II. De appetitu sensitivo

189. Illa propensio, qua animus in bonum sensibus propositum fertur, atque a malo etiam per sensus apprehenso refugit, nominatur appetitio sensitiva.

¹ Bonum, quod res appetunt, finis earum esse dicitur, quia « finis uniuscuiusque rei, aiente s. Thoma, est eius perfectio, perfectio autem cuiuslibet est bonum ipsius; unumquodque igitur ordinatur in bonum, sicut in finem; »; *Contr. Gent.*, lib. III, c. 16, n. 3.

² ¹ ² ^{ae}, q. VI, a. 5 ad 2. — ³ Cf p. 102.

⁴ I, q. LIX, a. 1 c. — ⁵ In *lib. III Sent.*, Dist. XLVIII, q. I, a. 4 sol.